

OVATIONES

ROBERT F. BOUGHNER

Cui donamus lepidam novam ovationem, simplicem munditiis? Sodalis noster, tibi: namque tu solebas nostros esse aliquid putare conatus, iam tum cum ausus es administrare societatem nostram—semper aequam rebus in arduis servans mentem—annos quinque doctos et laboriosos.¹

Civitas in media regione nostra te genuit, prope campum piratarum; domus diabolorum caeruleorum te aluit. Arma virum te fecerunt, arma patriae nostrae, in aestuosis locis, obsitis virgultis densis. Postquam diligenter lucubravisti, deditus operibus Patris Ecclesiae Latinae Carthaginensis, apud universitatem quoque caeruleis avibus insignem, inclutam veritate quae vos, et nos, liberabit, adeptus es gradum Doctoris Philosophiae.²

Deinde diversae varie viae te reportaverunt. Civitas libera te scuto bonae voluntatis coronavit. Civitas Imperii mox effecit ut excelsior ascenderes. Civitas veteris dominatus sic semper tibi (numquam tyrannis) profuit.³ Rem publicam nostram servavisti fovendis studiis humanioribus; fines Atticos meliores reddidisti curandis artibus liberalibus.

Nunc colis causam non solum studiorum humaniorum sed etiam artium liberalium, scientiarum studiosos locupletans. Multis discipulis carmina Catulli Horatiique commendavisti; cum multis collegis beneficia huius sodalitatis consociavisti. Plaudamus igitur Robert F. Boughner.

*University of Maryland, College Park
Classical World 101.4 (2008)*

JUDITH P. HALLETT

RITA M. FLEISCHER

Omnibus satis constat quomodo haec magistra doctissima effecerit ut lingua Latina floruerit, in urbe numquam dormienti (et quoque, ut fit, in orbe terrarum ultra hanc insulam fabulosam). Nunc tamen nobis, et praecipue societati nostrae hoc tempore, virtutes et labores eius sunt colendi. Multa opera, libellos et libros, scripsit scribitque. Una cum collega praestantissimo, qui praecepit apud universitatem in municipio illustri propter pontem emptu facillimum, exegit monumentum magni momenti. Hic liber demonstrabat, docebat, probabat homines, qui de antiquis discere quaerent sed numquam litteris antiquis studuissent, linguam Latinam posse celeriter perdiscere, cognoscere, intellegere.

Universitas circumdans arcum marmoreum Romanum, honorantem patrem patriae nostrae, suasor perstandi et praestandi,⁴ ter eam aluit. Una cum collega strenuissimo, qui ibi praecepit, edidit libros de radicibus verborum, et de verbis medicis. Multos annos sustinuit universitatem Urbis Novi Eboraci administrandis studiis linguarum externarum, praecipue linguae Latinae

¹ Catull. 1.1–7.: *cui dono lepidum novum libellum / . . . / Corneli, tibi: namque tu solebas meas/esse aliquid putare nugas, iam tum cum ausus es . . . / cartis doctis, Iuppiter, et laboriosis*; Hor. *Carm.* 1.5.5: *simplex munditiis*; and 2.3.1–2: *aequam memento rebus in arduis servare mentem*.

² *Veritas vos liberabit*, motto of The Johns Hopkins University.

³ Catull. 46.11: *diversae varie viae reportant*; *Scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos*, motto of Maryland; *Excelsior*, motto of New York; *Sic semper tyrannis*, motto of Virginia.

⁴ *Perstare et praestare*, motto of New York University.

Graecaeque. Quae cum ita sint, nobis decus illam tandem gloriam ovationis apud nos in hac convocatione accipere esse videtur. Plaudamus igitur Rita M. Fleischer.

CAGSE

University of Maryland, College Park

Classical World 101.4 (2008)

RICHARD GILDER
JUDITH P. HALLETT